



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLIII. Ioannis Papae VIII. Ad Engilbergam. Consolatur eam ob mortem mariti, atque monet vt Carolo imperatori fidem seruet, seque eius intercessorem apud eumdem Augustum futurum pollicetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA XLIII.  
IOANNIS PAPÆ VIII.  
AD ENGILBERGAM.

Consolatur eam ob mortem mariti, atque monet vt Carolo imperatori fidem seruet, seque eius intercessorem apud eundem Augustum futurum pollicetur.

*Joannes episcopus dilectæ filiæ Engilbergæ Christo dicatæ.*

**E**o nos, filia carissima, nec alio circa dilectionem vestram flagrare affectu noueris, quo fuimus, quo etiam olim persistere proposuimus: nescit enim dilectio vicissitudinum obumbrationem, nec defectum patitur, cum, secundum Apostolum, nunquam excidat. Huius rei gratia consolatoriis his, & exhortatoriis prudentiam vestram literis commonemus, ne deficiatis in tribulationibus, scientes, docente Apostolo, *quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit. omnia enim quæ videntur, temporalia sunt; quæ vero non videntur, æterna.* In his ergo configi, in his debes totis radicibus inhære carissima: vnde sapientia vestra sanctos, qui patientiæ in mundo claritate quasi luminaria refulserunt, præ oculis habeat, & ita inoffensis ad palmam supernæ vocationis gressibus tendat, quam videlicet habituri sunt illi, qui oraculo dominico imbuti, in patientia sua ponunt animas suas. Nihil enim inimica mors, vel manus abstulit, quod vita, quæ Christus est, & ipse prouida dextera in melius non transtulit, atque restituit. Abstulit mortalem illa maritum, sed ista seipsam æternum contulit sponsum: vnde quæ terreni vocabamini vxor, Patris cælestis iam regis multo præstantius dicimini coniux. Ademptum est corruptibile diadema, sed præparatur incorrupta corona. Remota sunt decoramenta quæ veterascunt: sed reposita sunt vobis ornamenta, quæ non marcescunt. & quid plura? pro arumoso & phantastico regno, percipietis felix & verum imperium: & reuera hæc est immutatio dextera Excelsi. Verum cum sapienti vobis & quæ nostis de paucis plura pensare pauca sufficiant; his ita prælibatis, dilectionem vestram merito com-

Engilberga  
vxor fuit  
Ludouici  
secundi im-  
peratoris ad  
quam ali-  
quot infra  
scribuntur  
epistolæ.  
Eiusdem  
meminit  
Aimoinus  
lib. 5. c. 28.  
& Leo Mar-  
sicanus lib.  
1. c. 38.  
1. Cor. 13.  
Rom. 5.  
2. Cor. 4.

Luc. 21.

2. sal. 76.

Concil. Tom. 24.

H ij

Rom. 13.

monemus, vt spirituali filio nostro Carolo piissimo imperatori, puræ fidei ac sinceræ deuotionis exhibens semper integritatem, omnes ad eius mansuetudinem attrahat, & salubribus monitis inuiolabilem ei fidem seruare demonstret. *Non enim est potestas, vt Apostolus ait, nisi a Deo. Et: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* nos autem, quia illum diuinitus, vt credimus, acti semel elegimus, perpetuo tamquam filium carissimum omni conatu diligimus, ita vt ipsius amicos & inimicos, nostros amicos & inimicos existere teneamus: si qua vero sunt vobis ab eius clementia impetranda, per nos credimus, cum vobis libuerit, indifficulter obtinere valebitis. Quod & nos libentissime pro memoria prisca benignitatis vestrae geremus, & idem pius Augustus pro Dei sanctorumque apostolorum, sed & nostri dilectione animo gratanti concedet. Optamus dilectionem vestram bene in Christo valere dilectissima filia. Data VI. Kalendas Aprilis, indictione decima.

## EPISTOLA XLIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVIGBODVM EPISCOPVM PARMENSEM.

Hortatur vt quoscumque potest ad sanctæ Romanæ ecclesiæ defensionem excitet, & ad se cum suis veniat, vt communi consilio Sarraceni ab Italia expellantur. mittit desideratas epistolas, quas afferendas curet iis, quibus scribuntur.

*Ioannes episcopus Vvigbodo episcopo Parmensi.*

**D**EVOTIONIS tuæ affectus non inscii grates condignas referimus: quia vero sanctitatem dolere tuam cognoscimus pro eo quod a nobis nihil sibi laboris iniungatur; nil esse noueris aliud, nisi quia nouimus te multis huius temporis procellarum fluctibus irretitum. Verum quia nobis multa incumbit necessitas, & tua promptissima claret alacritas; hortamur, vt quoscumque potes, & quomodo-cumque potes ad defensionem huius sanctæ principalis ecclesiæ filiorum excites, incites, & prout necessitas vrget, impellas: sed & ipse cum his, qui tibi adherent, ad colloquium nostrum accelerare ne pigriteris, quatenus communi consilio, auxiliante Deo, gens impia nostris eliminetur e